



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 4. De Mißione visibili, & inuisibili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

8. At vero licet hæc pro scripturæ testimonio satisfaciant, nihilominus D. Thomas dicta quaest. 43. art. 8. aliter intellexit Augustinum, quod (scilicet) docuerit, Verbum vt Verbum missum esse à Spiritu sancto: imo etiam tribuit Augustino, quod dixerit: *Ipsum etiam Spiritum sanctum mitti à se, & à Filio.* In quo Spiritu sancto non possumus distinguere locutionem illam secundum diuersas naturas, quia illas non habet. Et propterea D. Thom. in Augustini gratiam distinguit Verbum mittendi. Quia interdum denotat personam mittentem vt principium personæ missæ, & sic verum est nullam personam mittere aliam, vt diuinam, nisi, quæ producit illam: aliquando autem Verbum mittendi, solum significat personam mittentem vt principium illius effectus, secundum quem fit missio, & hoc modo (ait Diuus Thomas) tota Trinitas mittit personam missam. Quæ doctrina colligi potest ex Augustino dicto capite 7. secundi libro de Trinitate quatenus de Filio ait, *eo esse missum, quo factus est ex muliere, & inde inferit, Proinde mitti à Patre sine Spiritu sancto non potuit.* Et inferius adiungit, *etiam à se ipso missum esse Filium, quia ille conceptus, & partus operatio Trinitatis est.* Ergo missionem vocat productionem effectus secundum quem attenditur missio. Vnde in fine capitis aperte subiungit de missione Spiritus sancti. *Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est.*

9. In hac D. Thomæ distinctione, & doctrina nihil est, quod de re ipsa dubitemus. Sed quod attinet ad significationes verbi mittendi, non video sufficientem causam illas multiplicandi, nam re vera non potest præcindi ab habitudine ad personam mittentem. Et alioqui per illam distinctionem multum enervantur illa testimonia, in quibus dicitur Filius mittere Spiritum sanctum, quatenus ex eis probant Patres processionem Spiritus sancti à Filio, nam per illam distinctionem eludi possent. Quamobrem censeo distinctionem illam non esse in vsu scripturæ admittendam, vel quia semper Verbum mittendi inuoluit distinctionem, & aliquam processionem realem missi à mittente, vel quia alia significatio impropria est, & scriptura cum proprietate est intelligenda, vbi aliud non constat. In Augustino autem facilius posset admitti, tamen etiam non censeo necessarium. Quia in primis nunquam apud illum legi, quod Spiritus sanctus se ipsum mittat: dicit quidem 17. de Trinitate capite 19. quod Spiritus sanctus se ipsum dat, aut donat. Sed hoc longe diuersum est, vt de Patre supra diximus. Vnde cum Augustinus ait, Operationem visibilem esse missionem, non addit exclusiuam, quod sit sola illa, sed ita loquitur, quia per illam operationem completur missio.

10. Alioqui vero sæpe docet Augustinus, eisdem locis, processionem inuolui in missione, vt supra reuli. Vnde 4. de Trinitate capite 20. ait, eatenus Filium mitti à Patre. *Quatenus Filius à Patre est, & non Pater à Filio.* Idemq; docet de Spiritu sancto respectu Patris, & Filij. Vnde, quod ait, Filium mitti ab Spiritu sancto, optime de Christo homine, & secundum humanitatem intelligitur. Ait enim in principio eiusdem capitis 20. quarti lib. de Trinitate. *Patrem mittere Filium: Non quia ille maior est, hic minor, sed quia ille Pater, hic Filius, ille à quo est, qui mittitur, ille qui est ab eo, qui mittit.* Et subdit statim, secundum hoc ita potest intelligi, non ideo tantum dici missus Filius: quia Verbum caro factum est, sed ideo missus, vt Verbum caro fieret. Et per præsentiam corporalem illa, qua scripta sunt, operaretur, id est, vt non tantum homo missus intelligatur, quod Verbum caro factum est, sed esse Verbum missum, vt homo fieret, &c. In quibus Verbis expendo, in missione Verbi, vt Verbum est: importari secundum Augustinum processionem æternam à Patre, & ita non posse missionem Verbi alteri, quam Patri attribui, solamque

missionem Verbi, vt hominis, attribui aliis personis, non quia per Verbum mittendi non importetur habitudo ad principium personæ missæ, sed quia Christus, vt homo non à solo Patre, sed etiam ab aliis personis productur, & causatur. Nec ex lib. 2. de Trinitate 5. aliud colligi potest.

CAPVT IV.

An quadam missio diuinæ personæ sit inuisibilis, & alia visibilis, & de vtriusq; ratione, & modo.

TRibus modis potest dici hæc diuina missio, primo ex parte personæ missæ, & consequenter etiam mittentis, & sic quadam est missio Filij, alia Spiritus sancti, illa est à solo Patre, hæc à Patre, & Filio, quæ satis patent ex dictis. Quomodo autem vel distinguantur, vel coniungantur hæc missiones, ex dicendis patebit.

Secundo diuidi potest missio ex parte effectus, seu termini, ad quem tendit, & sic posset accipi diuisio, quam insinuat Durand. in 1. d. 14. q. 3. vbi ait, missionem aliquando fieri secundum dona naturæ: aliquando per dona gratiæ, interdum per dona gloriæ, & primam dicit esse imperfectam, secundam perfectam, tertiam perfectissimam. Veruntamen D. Thom. Alenf. & ceteri Scholastici cum Magistro non admittunt, missionem fieri secundum dona naturalia, quia scriptura nunquam ita loquitur, sed solum dicit personam diuinam mitti in ordine ad aliquem effectum superantem naturæ ordinem, & pertinentem ad ordinem gratiæ, in his autem diuinis rebus seruare debemus phrasim scripturæ. Ratio etiam reddi potest ex D. Thomæ dicta q. 43. art. 3. & eadem 1. p. q. 8. art. 3. Quia per dona naturæ Deus tantum dicitur esse in rebus tribus modis. *Per essentiam, præsentiam, & potentiam, non dicitur autem persona mitti, nisi quando incipit esse nouo quodam modo, qui solum est per gratiam.*

Quod ita explicari potest, nam per primam rerum creationem non dicuntur personæ proprie mitti, quamuis incipient esse in rebus, quæ antea non erant, quia missio proprie dicitur in ordine ad rem præexistentem. Et consequenter non dicuntur etiam mitti per conseruationem, vel gubernationem pertinentem ad ordinem naturæ, quia hæc sunt veluti debita ex vi prioris actionis, & ideo ratione illarum non censetur Deus existere nouo modo in rebus. Illud ergo primum membrum à Durando positum reiciendum est. Alia vero duo sub vna missione per gratiam sanctificantem à D. Thom. comprehenduntur, nec immerito, quia gloria est gratia consummata. Quomodo autem sub hac generali ratione alia particulare missiones comprehendantur, ex dicendis constabit, vbi etiam explicabitur aliud membrum, quod ibi addi posset de missione per gratiam vnionis.

Tertio ergo, ac principaliter diuiditur missio ex parte modi in inuisibilem, & visibilem, inuisibilis dicitur, quæ interno, & spirituali modo fit, visibilis autem quando ad sensibilem terminum fit, vel per aliquod sensibile signum manifestatur. Verumq; autem missionis modum ex scriptura colligim⁹. Nam de inuisibili recte intelligitur illud ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Nam cum Spiritus sanctus datus, et qui datus est nobis, sicut autem in infusio charitatis inuisibilis est, ita etiam missio, quæ cum illa fit. De visibili autem missione est illud ad Galatas 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, & similia.*

Ad explicandam autem vtriusq; missionis rationem duo dubia prius discutienda sunt. Primum est, *Quomodo an hæc duo membra sint ita inter se condistincta, vt neutrum*

Roman. 5.
Galas.

Neutrum aliud in se includat, vel potius distinguatur tanquam includens, & inclusum. Quidam enim existimant distingui hoc posteriori modo. Quia inuisibilis missio est illa, quae fit per effectus inuisibiles, & exterius nullo modo apparet, ut quando impletur illud. *Qui diligit me mandata mea seruabit, & ad eum veniemus*: nam ille aduentus inuisibiliter omnino fit, nunquam autem veniunt personae omnes, quin procedentes mittantur. Visibilis autem missio fit, quando interna, & inuisibilis missio ita fit ut per aliqua exteriora signa demonstretur, sicut ad Apostolos facta est in die Pentecostes. Ratio reddi potest, quia visibilis missio fit ad demonstrandam inuisibilem, ut hominibus innotescat, ergo visibilis missio includit inuisibilem, & quasi componitur ex inuisibili effectu, & signo visibili, sicut homo ex anima, & corpore.

6.
Resolutio.

Ergo.

Resolutio.

Dicendum vero est, has duas missiones esse distinctas, & per se loquendo necessarium non esse, ut simul inuisibilis missio fiat, quoties fit visibilis. Probat inductioe prius in praecipua missione visibili Verbi diuini, deinde in missionibus Spiritus sancti. Primum igitur in Filij Dei Incarnatione visibilis eius missio facta est sine vlla inuisibili. Respondent aliqui tunc in eodem momento factam esse inuisibilem missionem ad Virginem, per insignia Spiritus sancti dona. At hoc extrinsecum est ad illam missionem, nam illa missio inuisibilis ad Virginem, nec fuit significata per visibilem Verbi missionem, nec fuit terminus illius. Facilius dici posset, in illa missione visibili diuini Verbi missum esse inuisibiliter Spiritum sanctum ad animam Christi per gratiam sanctificantem. Sed haec missio inuisibilis non manifestatur per se per illam visibilem, neque includitur in illa, tanquam per se, & intrinsece componens illam. Et licet ad illam consequatur aliquo modo, inde non fit, non esse distinctas modo declarato.

7.

Alter vero dici posset, ipsam Verbi coniunctionem ad humanitatem intrinsece esse inuisibilem missionem, quatenus est illius humanitatis altissima sanctificatio. Sed oportet aduertere illam sanctificationem CHRISTI hominis per vnionem humanitatis ad Verbum, & assumptionem hypostaticam eiusdem humanitatis, non constituere duas missiones, vnam inuisibilem, aliam visibilem eiusdem Verbi. Quia illi non sunt duo modi existendi Verbi in humanitate, sed est vnica simplex vnio, quae ratione a nobis distinguitur, quatenus est suppositio, & quatenus est sanctificatio: quae distinctio non satis est ad multiplicandam missionem, quae solum attenditur secundum nouum modum existendi Dei in creatura. In quo etiam considerandum est, quod illa missio non dicitur visibilis, quia versetur circa signum visibile representans aliquid inuisibile. Actio enim, per quam fit illa missio, non est tantum representatiua (ut sic dicam) nec etiam est visibilis in se, vel in formalissimo termino suo (vita loquar) sed est vniciua, & sanctificatiua per actionem valde internam, spiritualem, & diuinam. Quia vero terminatur ad personam compositam visibilem ratione assumptae naturae, licet verbum ad eam missum sit inuisibile, ideo illa missio visibilis est. Vnde per illam non tantum anima, sed etiam caro illa visibilis sanctificata est, licet sanctificatio fuerit inuisibilis.

8.

Alio tandem modo potest cogitari, quod ibi fuerit coniuncta missio inuisibilis cum visibili, quatenus tota Trinitas vnionem illam operata est. Nam licet sola persona Verbi illam terminauerit, & ideo solum Verbum caro factum sit: tamen omnes personae illam effecerunt, & ea ratione peculiari modo esse ceperunt in illa humanitate. Quia Deus peculiari modo est, vbi peculiariter operatur. Vnde ad Beatam Virginem dictum est, *Spiritus sanctus*

superueniet in te, & car. Recte ergo dicitur missus ad humanitatem Verbo vnionem, quae missio inuisibilis dici potest. Et cum Spiritu sancto venit Pater, licet non missus, venit etiam Filius a Patre missus, non solum ut terminus, sed etiam ut effector illius vnionis. Sed hoc etiam solum declarat, inueniri ibi duplicem rationem missionis scilicet, terminationem, & efficientiam, vnam propriam Filij, ratione cuius singulariter, ac proprie dicitur missus, ut in ea humanitate subsistit: aliam communem per singularem efficientiam, ratione cuius vere dici potest tota Trinitas peculiari modo esse in illa humanitate, ut omittam, etiam per quandam concomitantiam ibi adesse, licet illi non vnatur personaliter, ut in 1. tomo de Incarnatione, & in 3. de Eucharistia diximus. Tamen inde non fit, vnam ex illis missionibus formaliter componi ex alia, vel fieri visibilem per aliam, imo si attente considerentur, ambae sunt visibiles in suo genere. Propria enim missio verbi visibilis est, quia per illam constituitur visibilis persona sub humanitate. Altera vero, quae est per efficientiam, visibilis etiam est, quia fit per actionem terminatam ad rem sensibilem, nempe hunc hominem Deum, & quia ratione illius peculiari modo habitat Trinitas in humanitate, & in eius corpore sensibili.

Resolutio.

Venio nunc ad missiones visibiles Spiritus sancti. Inter quas vna ex praecipuis fuit in die Baptismatis CHRISTI Domini, quando Spiritus sanctus in ipsum descendit in specie columbae, nam ille descendit Spiritus sancti non fuit sine missione ipsius a Patre, & Filio, & tamen nulla missio inuisibilis tunc facta est, quia nullum gratiae effectum operatus est tunc Spiritus sanctus in Christo Domino, quia nullum gratiae argumentum recipere potuit. Respondent aliqui, eo tempore, quo Spiritus sanctus visibiliter descendit supra Christum, inuisibiliter descendisse in Ioannem, quem in eo actu, & mysterio in gratia creuisse credendum est. At hoc extrinsecum & accidentarium est, quia nec illa sanctificatio inuisibilis Ioannis per visibilem illam significata est, nec Spiritus sanctus dicitur descendisse ad ipsum, sed ad Christum, neque etiam est, cur dicamus, fuisse specialem sanctificationem, quasi ex opere operato, sed solum eam, quam per nouos actus viuae fidei, & confessionis eius, praedicando, & confitendo Christum, tunc meruit. Quomodo etiam multi ex his, qui tunc aderant, poterunt credere, & sanctificari, & verissime etiam est, ad multos alios descendisse tunc Spiritum sanctum inuisibiliter. Omnia tamen illa sunt accidentaria, & extrinseca ad illam missionem inuisibilem.

9.

Aliquo istis
responsum.

Resolutio.

Aliter dici posset, quamuis tunc non descenderit Spiritus sanctus inuisibiliter in Christi animam per dona gratiae habitualis, descendisse per dona gratiae actualis excitando illam sanctissimam animam ad mirificos, & insignes actus charitatis Dei, & hominum, & ad illum insignem humilitatis actum. Hanc enim internam motionem ipsemet Christus illis verbis significauit, cum ad Ioannem dixit, *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* At, licet verum sit, exercuisse tunc Christum ut hominem viatorem nouos, & speciales actus virtutum, non est, cur dicamus, descendisse tunc Spiritum sanctum nouo, aut peculiari modo inuisibiliter in ipsum. Quia illos actus operabatur Christus ex habitibus perfectissimis, quos habebat sine vilo illorum augmento, & ad illos se poterat excitare ex interna, & connaturali sibi virtute, & ex perpetua consideratione supernaturalium rerum, qua nunquam carebat, non solum per scientiam beatam, sed etiam per infusam, solumque indigebat actuali concursu supernaturali Spir. S. ad illos praestandos. Propter solum autem illum concursum non fit noua missio inuisibilis, quia est debitum ratione prioris gratiae, & Christi.

10.

Alius modus
respondendi
ad sanctiact.

Resolutio.

Christo erat speciali titulo, connaturalis ratione v-
nionis. Alioqui dicendum esset, Spiritum sanctum
missum fuisse ad Christi animam inuisibiliter fere
continue per totam vitam, quia nunquam cessavit ab
his virtutum operibus in hinc inde, ad que semper re-
cipiebat Spiritus sancti auxilium, saltem quantum ad
actuale concursum. Nulla ergo singularis missio
inuisibilis facta est ad Christum in baptismo.

11. *Respondendi
difficultati
D. Thomae
modus assi-
gnatur.*
Vnde tandem Diuus Thomas docet, non esse
quidem necessarium, vt eomet tempore, quo mis-
sio visibilis Spiritus sancti fit, fiat etiam inuisibilis,
sed quod, vel tunc fiat, vel saltem præcesserit, &
tunc per visibilem missionem indicatur, atque ita
factum esse in illa missione Spiritus sancti, quia co-
lumba illa descendens super Christum, & supra il-
lum aliquantulum perseverans, significauit descen-
sum inuisibilem Spiritus sancti in animam Christi,
quæ tempore conceptionis eius præcessit, & perse-
ueranter, atque immobiliter facta est. Quod etiam
significatum est per illa verba, quæ tunc audita sunt,
Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.
Ostendunt enim non tunc incepisse complacere, sed
à principio complacuisse, licet tunc id fuerit specia-
liter significatum. Quæ doctrina verissima est, tamē
ex ea recte concluditur, inuisibilem missionem tan-
tum, comparari ad visibilem, vt obiectum eius, seu
tanquam signatum ad signum, ac subinde esse illas
duas missiones cōdistinctionem inter se, sicut exemplar,
& imago. Imo etiam esse tempore separabiles, quan-
do quidem prius inuisibilis facta esse supponitur, &
postea notificatur per aliam visibilem. Non est ergo
vna pars alterius, nec necessario vna in alia includi-
tur. Et ita probata relinquatur assertio posita. Et ra-
tio eius reddi potest ex proxime dictis, quia hæc duæ
missiones comparantur sufficienter vt res, & signū
rei, quæ inter se cōdistinguntur, licet signum dicat
habitudinem ad rem signatam.

12. *Oritur du-
bium.*
Hinc vero nascitur secundum dubium, quia se-
quitur, diuisionem illam sufficientem non esse, da-
ri enim potest tertium membrum missionis quasi
compositæ ex visibili, & inuisibili. Erit ergo quædā
missio pure inuisibilis, alia pure visibilis, alia compo-
sita extraque. Probatur, quia negari non potest,
dari aliquas missiones visibiles, quæ intrinsece, ac
per se inuoluunt inuisibiles. Vt fuit in primis missio
Spiritus sancti in die Pentecostes ad Apostolos: tunc
enim, & ipsi sunt repleti gratia inuisibili, & est de fi-
de certum, quia propterea dictum est de Apostolis
Act. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto,* & missio illa in-
uisibilis visibili signo manifestata est. Vnde non so-
lum concomitanter concurrerunt ibi duæ missio-
nes visibilis, & inuisibilis, vt supra de missione Ver-
bi per Incarnationem dicebamus, sed per se sunt ita
connexæ, vt vnā quasi compositam efficiant.
Nam per signum illud visibile indicatur Spiritus
sanctus, vt descendens ad actuale sanctificationem
inuisibilem præstandam, quæ tunc fit in eo, ad quem
tunc visibiliter mittitur: & ideo ad veritatem & cō-
plementum illius missionis duo requiruntur, scilicet,
interna sanctificatio, & exterior illius significa-
tio, est ergo vna quasi composita. Idem videre licet
in missione visibili Spiritus sancti, quando Christus
Ioan. 20. insufflauit in Apostolos, dicens. *Accipite Spi-
ritum sanctum,* tunc enim sub specie illius flari visibi-
lis missus est Spiritus sanctus inuisibiliter ad Aposto-
lorum animas, & ideo vnica fuit missio ex vtraque
composita.

13. *Respondum.*
Respondeo, omnino verum, & certum esse dari
aliquas missiones visibiles, quæ sine interna sancti-
ficatione non fiunt, & consequenter nec sine Spiritu-
ali, & intima Spiritus sancti missione, nam hoc cō-
uincunt adducta exempla. Et ratio est, quia Deus
potest descendere prout voluerit, talis autem mis-
sionis modus possibilis est, & valde perfectus, imo
fortasse nunquam aliter Spiritus sanctus missus est,

excepta dumtaxat missione visibili ad Christum in
eius baptismo, propter singularem rationē in Chri-
sto inuentam. Nam ad illum missus est Spiritus san-
ctus vt ad sanctificatorem, & ex se sanctum per na-
turam, & personalem dignitatem, ad alios vero ho-
mines mittitur vt ad indigenes actuali sanctifica-
tione, quæ interdum ad communem profectum ordi-
natur, & ideo cum fit, peculiari signo visibili ma-
nifestatur. Vnde etiam verum censeo, in hoc genere
missionis visibilis, vnica tantum fieri missionem
includentem internam missionem cum externa il-
lius demonstratione, & ex hac duplici ratione quasi
componi vnā missionem. Quia totum illud fit per
modum vnus actionis, & cum quadam connexionē
illarum partium inter se, vt in ratione dubitandi de-
claratum est.

Nihilominus hinc non fit, diuisionem esse dimi-
nutam. Primo quidem, quia interna illa missio, quæ
fit in hac visibili missione eo ipso, quod fit vt per se
coniuncta cum tali signo visibili, & per modum
vnus, iam non est omnino inuisibilis, sed visibilis
saltem per aliud. Sicut de contritione dici solet in
Sacramento Penitentia, vt coniunctam signo sen-
sibili esse aliquo modo sensibilem, & ita esse partem
Sacramenti, & Christus Dominus, licet fit in Eu-
charistia per se inuisibilis, nihilominus vt coniu-
ctus visibilibus speciebus est Sacramentum aliquo
modo sensibile. Secundo, quia substantia v.g. suffi-
cienter diuiditur in immaterialem, & materialem,
etiam si homo ex anima immateriali, & corpore
materiali confert, quia nihilominus illa composita
substantia materialis est, & corporea. Sicut supra et-
iam dicebamus, missionem personæ diuinæ simpli-
citer esse temporalem, quia licet includat æternam
processionem, tamen nō significat illam secundum
se, nec pro illa sola supponit, sed vt componit vnū
quid cum temporali actione, quod compositum tem-
porale est. Ita ergo hæc missio simpliciter visibilis
est, quia per signum visibile quasi consummatur, &
constituitur, etiam si includat totum id, quod pura
missio inuisibilis continet, imo sæpe cum maiori et-
iam perfectione, & excellentia.

Potest autem ex dictis omnibus colligi, & ratio
vtriusque membri, & differentia eorum inter se, & Causa
subdiuisio alterius membri. Primum patet, quia
de ratione missionis inuisibilis duo sunt, vnū po-
situum, alterum negatiuum, vt nomen ipsum præ-
se fert. Posituum est aliquis specialis Dei effectus,
ratione cuius dicitur DEVS speciali modo esse de
nouo in creatura, ad quam mittitur. Et ratio huius
est, quia missio, descensus, aduentus, & familia ver-
ba dicunt ordinem ad terminum quasi localem de
nouo acquirendum, & obtinendum. Deus autem
non potest incipere esse de nouo alicui per sui mu-
tationem, nec etiam potest esse nouo modo, vbi an-
tea non erat, per modum nouum, quem in se ac-
quirat, quia per hoc etiam mutaretur: ergo solum
possunt omnia illa dici de DEO per mutationem
creaturæ, ergo ad omnem missionem diuinæ per-
sonæ (nam de visibili etiam probat, hæc ratio) ne-
cessarium est, vt Deus incipiat esse nouo modo in
creatura per mutationem creaturæ. Quia alias im-
possibile est intelligere, vnde denominetur DEVS
quasi de nouo ibi existens, aut cur nunc dicatur
Spiritus sanctus mitti, potius quam antea, ergo ne-
cesse est, vt aliqua realis actio intercedat per quam
fiat aliquid, in quo talis denominatio fundetur.
Quid autem illud sit, & quomodo funder hanc de-
nominationem, in capite sequenti explicabimus.
Alterum necessarium ad missionem inuisibilem est:
vt ille nouus modus existendi Dei in creatura ne-
que sensibile terminum habeat, nec sensibili a-
liquo signo manifestetur. Hoc constat ex ipso no-
mine, *Missio inuisibilis*. Et quia non potest in alio suffi-
cienter distingui, à visibili. Et quia per se notum est, posse

STYLA
IN
LUM
DIT
SPUL
DIT
DIT

posse misionem diuinæ personæ separari à tali signo, cum ipsa persona inuisibilis sit, & per inuisibilem effectum possit nouo modo alicubi esse. Neque in hac posteriori parte est vlla difficultas. Circa priorem vero dubitant aliqui, quia Deus potest sanctificare hominem de nouo per beneplacitum suæ voluntatis sine reali mutatione hominis, ergo potest fieri missio Spiritus sancti inuisibilis sine reali effectu, vel actione Dei, sed de hoc dicam commodius cap. sequenti.

manus nostra contractauerunt de Verbo vite, altera vero fit visibilis in representando visibiliter diuinam personam, vt venientem ab alio ad hominem sanctificandum.

Hæc vero posterior missio visibilis, quam representatiuam appellare possumus, vltius diuiditur, quia quædam est pure representatiua, seu notificatiua misionis inuisibilis iam factæ, altera vero esse videtur non solum representatiua, sed etiam effectiua internæ sanctificationis, & misionis, vel saltem ita illam representat, vt tunc fieri indicet. Nam vtroque modo fieri potest, & ita posset fortasse posterior illud membrum in duo subdiuidi. Nam visibilis missio, quæ præsentem, & actualement sanctificationem indicat, per hoc distinguitur à priori membro, in quo sanctificatio antea iam facta, nunc per visibilem misionem notificatur. Et rursus prior missio interdum ita fit, vt per sensibilem ostendatur tantum internus effectus, vt videtur accidisse in die Pentecostes, interdum vero non solum significatur, sed etiam fit visibili signo, vt fortasse contigit, quando Christus insufflando dedit Spiritum sanctum Apostolis Ioan. 20. De quibus omnibus, & de signo visibili necessario ad misionem visibilem representatiuam in cap. 6. dicemus.

Hic vero interrogare potest aliquis, an visibilis missio pure representatiua possit fieri in ordine ad futuram representatiuam, sicut fit ad præteritam notificandam. Item an fieri possit in ordine ad sanctificationem prius factam, quæ iam non perseverat, an vero oporteat, vt duret, ac conseruetur eo tempore, quo fit visibilis missio. Respondeo breuiter incipiendo à posteriori interrogatione, necessarium esse, vt perseveret, vt in exemplo huius misionis patet, quod vnicum habemus in descensu Spiritus sancti in specie Columbæ super Christum baptizatum. Et ex illo colligi potest ratio generalis, quia necesse est, vt per hanc misionem ostendatur persona, ad quam fit missio, vt facta, & in qua Spiritus S. inhabitat. Nam dona Dei sunt sine poenitentia. Vnde si prius facta est missio inuisibilis Spiritus sancti ad talem personam, in qua nunc non perseverat, id esse non potest, nisi propter iniquitatem talis personæ, quæ iam indigna est, vt ad eam fiat missio visibilis Spiritus sancti. Et ideo non fit missio ad representandam sanctificationem factam, nisi vt perseverantem. Atq; eadem ratio non fit proprie ad representandam futuram significationem, quia per eum modum sancta effecta est persona, ad quam oportet talem misionem fieri, quæ omnia ex dictis cap. 6. magis elucescent.

CAPVT V.

De inuisibili misione diuinarum personarum, & omnibus, quæ ad illam pertinent.

Vum est, quod præcipue hic declarari potest, ex quo cætera pendent, scilicet, secundum quam actionem, vel effectum Dei hæc missio fiat, quo declarato, melius intelligitur, quomodo persona ipsa mitti dicatur, & quænam mittatur, & ad quam personam, seu ad quem locum mittatur. Significatur enim hæc missio per modum cuiusdam motus, cuius cognitio potissima pendet ex termino, ad quem tendit, vnde & CHRISTO Domino dicebat Thomas *Domine nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire*. In præsentem autem effectus ille, secundum quem attenditur hæc missio, est quasi terminus ad quem huius misionis, & ideo tota illius cognitio ex illo pendet: Conueniunt autem Theologi, misionem hanc fieri secundum dona gratiæ, & tantum secundum illa, cuius rationem super-

16. De ratione autem misionis visibilis est, vt aliqua diuina persona procedens, nouo modo visibili, ac sensibili incipiat esse in creatura, cum aliqua habitudine ad sanctificationem rationalis naturæ. Hanc vltimam particulam addo, vt significemus misionem visibilem diuinæ personæ proprie non fieri, nisi in ordine ad sanctificationem, vt in sequenti capite explicabo. Missio enim visibilis, aut per se sanctificatiua est, aut semper fit cum habitudine ad inuisibilem, seu ad illam, quatenus sanctificatiua est, manifestandam, vt constat ex dubio præcedenti, & ex dictis circa secundam Durandi diuisionem intelligi etiam potest. Quia per creationem, conseruationem, & gubernationem rerum corporalium, & sensibilem inceptit Deus esse in illis modo aliquo sensibili inuisibilis enim eius præsentia per ea, quæ facta sunt, conspici quodammodo potest, & tamen per illum præsentis modum non dicitur persona diuina mitti, vt dictum est, ergo ad misionem etiam visibilem necessaria saltem est habitudo aliqua ad superiorem modum existendi Dei in creatura per illius sanctificationem. Hac ergo parte supposita, alia clara sunt. Quia etiam ad hanc misionem necessaria est actio personæ missæ, & mittentis, in qua fundetur illa denominatio, vel peruentio ad talem terminum, ille autem modus debet esse aliquo modo visibilis, vt per hoc distinguatur hæc missio ab inuisibili. Recte ergo ita explicatur ratio visibilis misionis. Et ex vtriusq; ratione satis constat differentia inter illas. Et quomodo ad quare diuidant misionem, nam distinguuntur per differentias quali contradictorias, & immediate oppositas.

Tandem ex dictis colligere licet subdiuisionem visibilis misionis. Nam inuisibilis secundum propriam rationem non vltra diuiditur, quia sanctificatio, secundum quam fit talis missio, eiusdem rationis in omnibus est, licet secundum quandam appropriationem subdiuidi possit, vt cap. sequent. declarabo. At visibilis missio multiplex esse potest pro ratione terminorum, aut signorum sensibilem, sub quibus fit. Duæ autem partitiones, quæ ex dictis subinferuntur, peculiariter notandæ sunt. Vna est, quia quædam missio visibilis est substantialiter (vt sic dicam) seu in essendo, altera est sensibilis in significando, & representando. Prius membrum pono propter misionem Verbi per Incarnationem, nam illa non est per se ordinata ad significandum, vel representandum, sed ad essendum: Vnde Verbum non est missum, quia representatum per humanitatem, sed quia est illi realiter, substantialiter, ac personaliter vnitum, & ideo dixi, illam misionem esse visibilem substantialiter, alia vero sunt visibiles tantum representatiue. Vnde etiam est alia differentia notanda inter illas, quod in priori interuenit non solum effectio, sed etiam realis vnio & terminatio Verbi ad humanitatem, & humanitatis ad Verbum, ratione cuius dicitur visibiliter missum singulari modo, absque alia representatione. In aliis vero misionibus, præter effectiorem aliquam solum interuenit peculiaris representatio sensibilibus personæ missæ, vt postea videbimus. Recte igitur diuiditur visibilis missio, vt aliqua talis sit, quia terminatur ad personam diuinam, quam quodammodo facit realiter sensibilem, & visibilem iuxta illud, *Verbum caro factum est, & illud, Quod audiuimus, & vidimus, &*

17. Colligatur subdiuisionem visibilis misionis.